

sequentem, & Godefridus, Gobelinus & Robertus de Monte ad 1173 referant; certius tamen huic anno 1171 adscribitur a pluribus. Celebris illa peregrinatio fuit, quam antè Albertus Ursus, Wigmannus Archiepiscopus Magdenburgensis, Ulricus Episcopus Halberstadiensis, multique per Saxoniam Principes diversis annis susceperant, insigni majorum in loca sancta & Christi Servatoris monumenta religione ac pietate. Igitur Leo, relicta Brunswici conjuge gravida, & totius Saxoniae apud Wigmannum Magdenburgensem moderatione, cum Conrado Lubecensi Episcopo, Henrico Abbate Brunswicensi, Bertholdo Abbate Lunenburgensi, Prebizlao Obotritorum regulo, Guncelino Comite Suerinensi, multisque Saxoniae proceribus, ac praecipua nobilitate, Idibus Januarij iter ingressus: è ministris non nisi Ecbertus Wolfenbutelensis, & Henricus Lunenburgicus, quibus familiae administratio data, domi mansere. Tantus omnium majorum nostrorum fervor erat, perlustrandi loca & vestigia Servatoris nostri. Accessere è Bavaria locupletes ex omni ordine procerum & nobilitatis. Multis viarum difficultatibus, multisque periculis pervenerant in Palaestinam; ubi ab Ungariae Rege, & Manuele Graecorum Imperatore benignè & honorificè exceptus Dux; etiam ab ipso Soldano Turcarum Principe, à quo Dux frater salutatus, quòd se Russorum Regis filia, ac Germana matre genitum diceret; eòque multis donis regijs exornatus fuit. In hoc familiari congressu multis libere Henricus Leo persuadere ausus est Soldano Christi religionem. Ad quæ Soldanus: *Non quidem arduum creditu esse Deum ex Virgine nasci potuisse, si quidem ita libuerit, qui hominem è terra virgine formavit; sed sibi persuasum esse, Deum ab omnibus non uno cultu velle honorari.* Hac ille politicorum nostrorum voce elusit, quæ dicebantur: Leo perlustrato Christi sepulchro, ceterisque per omnem Palaestinam sacris, incolumis altero anno redijt Brunswicum in Saxoniam, magno secum sacrorum pignorum exportato thesauro. Amissi interim Conradus Lubecensis Episcopus, & Bertholdus Lunenburgensis Abbas.

Chron. Ste-  
derb.  
Chron. Lu-  
becens.  
Auctor  
Synch. 10.  
Thyrius l.  
11. c. 4.  
Chron. Au-  
gust.  
Bangert. in  
not. ad  
Helm. &  
Arnold.  
Henricus  
Leo, Dux  
Saxoniae  
in terram  
Sanctam  
profici-  
scitur.

Per Henrici absentiam Fridericus Imperator Saxoniam ingressus, potentiores quosdam Saxoniae proceres praefectosque, quibus Dux urbes commiserat, alios minis, alios promissis circumvenit; ut si quis casus humanus Ducem tolleret, urbes sibi traderent. Ea res postquam Duci redeunti comperta est, inter utrosque dissensionis causam dedit; altumque haesit in mente Ducis haec suspecta Caesaris machinatio.

Gobel. atat.  
6. c. 60.

## Annus Christi 1172.

Alexandri III Pont. 13.  
Friderici I. Reg. 21. Imper. 18.  
Evergisi Ep. Pad. 13.

Interim